



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Hapanta
Ta Hellēnisti Heuriskomena**

Origenes

Coloniæ, 1685

Quæstio octava, de astris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79842](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79842)

Propositum autem hic dicit, ne totum vocationi tribuat: sic enim contradicuntur et Graeci et Latini. Nam si sufficeret sola vocatio, qua de causa non omnes salvi facti sunt? Propterea, inquit, non sola vocatio, sed et propositum eorum qui vocantur, salutem operatum est: nec enim coacta facta est vocatio, neque violenta. Omnes ergo vocati sunt, sed omnes obedierunt. Assentientem quoque haberet Theodoretum, & perpetuos Chrysostomi ad ecclesiam Theophylactum, & Oecumenium, & alios nonnullos. Vocatio autem secundum propositum Dei, quod propositum ex perfectis animae piis desideris pendeat, quatenus cum reliquis Adamantii dogmatis cohaeret, merito à Janzenio exploditur: nam pia desideria ab hominum sola voluntate derivat; quibus perfectis desideris proponat Deus ipsos vocare, tumque primum gratiam ad id opportunam largiatur. Huic affine quiddam carpit in Origene Janenius Tom. 1. libr. 8. cap. 4. quod scilicet dixerit salutis doctrinae praecepta Christum hominibus tradidisse, prout affectos eos esse novit, fidemque sibi adhibuituros praesentit. Equidem non dubito, uti supra dixi, opinatum fuisse Origenem, ex hac praenotione motum fuisse Christum ad primam illis gratiam impertiendam: proptereaque nullam Semipelagiano huic errori defensionem obtendimus. Sin ita sensisset Origenes, doctrina sua illos imbuisse Christum, quos ipsi per gratiae suae mere gratuita auxilium assensuros praenoverat; vel futurum & praevisum consensum occasionem Christo impertiendae suae doctrinae & gratiae praebuisse, non ut praebetur pro merito, sed hac consensus oblata occasione Christum fuisse largitum, magnis utique patronis sese tueretur; puta Augustino, qui, ut habet Janenius supra laudato loco, in Epistola 49. ad Deo-gratias, quaest. 2. docet tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse qui in eam fuerant credituri: & aliquanto post: Quid ergo mirum si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus saeculis noverat, ut eis apparere, vel predicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse praescribat? & Chrysostomo, qui Serm. 4. in Epist. ad Coloss. ad vers. 25. sic habet: ο γδ θεος εν αθροισ πειντα ποιει, αλλα κερειν αυτα κατασσει η πολλοι απη φιλανθρωπιαν. κη το αυτοι τον παραρηκεν η ρησιν, αλλα μη πειντα. Deus enim non repente facit omnia, sed propter summam suam humanitatem sese rebus accommodat. Et haec causa est, cur nunc advenerit servator, non olim; quod fulius disserit in fine Homiliae ejusdem: & Sedulio, qui in Roman. 8. 28. propositum illud Dei ibi intelligendum esse dicit, secundum quod proposuit salvare sola fide, quos praescribat credituros. Ferri etiam posset, quod addit Origenes, non ex sola Dei voluntate justificationem nostram pendere, neque salutem de nostra penitus esse potestate sublatam; nam gratiae justificationis libere consentit homo, à qua dissentire potest; & salutem aeternam dissentiendo potest amittere, juxta Tridentina placita. Verum commodam omnem interpretationem excludunt quae apponit Origenes, non in praesentia Dei unicuique salutis causam poni, sed in proposito et actibus suis: excludunt & reliqua Adamantii praescripta, unde haec profisciscuntur. Jure quoque Paulini loci, qui extat 1. Cor. 12. 18. proposita ab Origene, non asserita tamen ab eo, neque omnino probata explicatio, utpote absurda & violenta refellitur.

Trid. Conc.
Sess. 6. cap.
5. & Can.
4.

QVAESTIO OCTAVA.

DE ASTRIS.

I. *Utrum astra animata esse, Deum cognoscere et precari, peccare posse, judicatum iri, ac salutem sperare et posse consequi Origenes affirmaverit.* II. *A multis hic arguitur: III. nec defensione tamen caret.* IV. *Viam ipsi ad id credendum straverunt antiqui.* V. *Utrum sideribus futurorum significationem à Deo impressam putaverit.* VI. *An tres prioris creationis dies sine Sole, Luna, et stellis non fuisse decreverit.*

I. **Q**UID Origenes de Astris senserit exploraturis, animane ea & corpore constare sit arbitratus, an corpora esse inanima, rursum iteranda sunt quae tam saepe supra disseruimus: Mentis ante corpora conditas opinatum Adamantium, ac pro meritis in varia, variaque corpora detrusas; quasdam autem ex illis quae non pessime sese gessissent, animandis Solis & Lunae, aliorumque siderum corporibus, mundoque illustrando ac exornando, nobili scilicet muneri fuisse praefectas. Id supra jam delibatum nunc eo etiam amplius probandum est. Sic habetur quidem Tomo 1. Origenis in Johann. p. 17. κη ηαυ η λυχη τα ηλια εν σωματι: Hoc est, anima Solis, non Eliae, ut inepte vertit Interpres. Libro vero 2. απη αγων, cap. 9. postquam animas juxta virtutes ac merita diversis sanxit

A sanxit adnecti corporibus, ea que diversitate mundi consonantiam efflorescere, addit quasdam ex his quæ melioribus meritis sunt, ad exornandum mundi statum secerni, & officium præbere inferioribus, quo per hoc participes existant patientiæ Creatoris: secundum quod Apostolus ipse dicit: Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Quo de Astris sine dubio intelligendum est.

Nec animam duntaxat sideribus additam esse, sed ea etiam ratione pollere, Deum cognoscere, laudare, ac precari ratus est. Nam Tom. 13. in Matth. pag. 326. hæc leguntur: αὐτὸν γὰρ λέγειν τὸ ἐξ ἄρατος καὶ γῆς καὶ ἕρῃ ἐν αὐτοῖς σῶμα. ὡς εἶπεν ἂν ὅτι ἡλιος, καὶ σελήνη, καὶ ὁ χροῖός τῃ ἀστέρον, καὶ ἡ ἐν ἑαυτῷ πᾶσι κόσμῳ πύλα ἀγγέλων καὶ ἐργασίαν τὸ ἀλλοθιὸν Φῶς, καὶ ἀγνοῦντες αὐτὸ ἐτήρησαν τὸ ἔσπασθαι τὸν οὐρανὸν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τὰ ἕξιν. At libro 5. contra Cels. Altra appellat ἑὸν λογιστὴν καὶ ἁπλοῦς δαίμα, καὶ φωτισθέντα πᾶσι φῶτι τὸ γινώσκουσιν ἑαυτὸν σοφίας, ἡνίκά ἐστιν ἀπαύρασμα φωτὸς αἰθέρος. Eadem preces offerre Deo per Unigenitum eius Filium, ipsumque laudare probat ex Davidis Psalm. 148. 5. 4. Laudate eum omnes stelle & lumen: Laudate eum cæli cælorum. Quo & illud refert ex Epist. ad Rom. 8. 19, 20, 21. Expectatio creatura revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: & libr. 8. Operis ejusdem: ἐφορῶντες οὐκ ἡλίον, inquit, ὡς καλὸν Θεὸν δημιουργοῦ καὶ τὰς νόμους φυλάσσον Θεὸν καὶ ἀκούον τὰ ἀνεῖτε τὸν νόμον ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ ὅσα δυνάμεις, ἡμῶν τε τὸν πατέρα, καὶ τὸν δημιουργὸν τῶ παντός & paulo post: ἡμῶν γὰρ Θεὸν, & τὸ μυστήριον αὐτοῦ, ὡς καὶ ἡλιος, καὶ σελήνη, καὶ ἀστρα, καὶ πάντα ἢ ἄρατα ἐρατὰ. ἡμῶσι γὰρ πάντες ἔσθι, θεοὶ ὅντες χωρὸς μὲν τὸ ἐν ἀνθρώποις διακίον τὸ πᾶσι Θεὸν, καὶ τὸ μυστήριον αὐτοῦ.

C Eadem peccatis esse obnoxia; nec Altra modo, sed elementa etiam, ac proinde iudicium Dei olim subitura fore, sententia ipsius est, his consignata verbis Homil. 4. in Ezech. Futurum est ut in die iudicii non solum homo, sed etiam universa conditio iudicetur. Omnis quippe creatura congemiscit & condolet. Si omnis creatura congemiscit & condolet, est autem creaturarum pars terra & cælum, & cætera quæ, quæ sub cælo sunt, & quæ super cælos, & liberabitur omnis creatura à servitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei, quis scit & de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est; si indiget auditione sermonis Prophetici dicentis: Attende cælum & loquar, & audiat terra verba oris mei: & : Audi cælum, & auribus percipite terra. . . . quare non terra & æris iudicium sit futurum? Id deinde probat variis Scripturæ testimoniis, tum addit: Capax est, inquam, (terra) ut animal juxta partium qualitates, & bonorum actuum, & malorum, in quibus aut laudem mereatur aut poenam. Super eo præterea quod habetur Matth. 24. 35. Cælum & terra transibunt. Cur cælum, inquit, prætergreditur, cum terra pertransit, nisi quia transitus sui quædam digna fecerunt? Atque hæc commentatur in illud Ezech. 14. 13. Terra non peccaverit mihi, ut prævaricaretur prævaricans, extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis ejus. Frustra vero dicta hæc ab Origene per prosopopœiam existimat Sixtus Senensis Biblioth. libr. 5. Annot. 242. ut ex doctrinæ ipsius connexionem manifestum est, Melius Origeni consuluit Genebrardus, respondens fuisse hæc inquirendo & disserendo pronunciata. Quin & ipse futuri Astra duci asserit libr. 7. contr. Cels. nam postquam eundem Pauli locum ex Epistola ad Rom. ad sidera retulit, subiungit καὶ θεὸν τὰ ἐπὶ τῆ δαλεία

F & Φωτῶς, καὶ ἐπὶ τῆ ματαιότητι ἁπλοῦς θεοῦ, καὶ ἐπὶ ἐλπίδι κρείττοσι τῶν ἐσπῶντων, ἐν χώρᾳ τιμῶν Θεοῦ. Spes autem hæc est libertatis & futuræ conjunctionis à corporibus quibus conjuncta sunt, & salutis.

At omne id argumentum exhaustit libr. 1. ἀπὸ ἀρχῶν, cap. 7. unde loca aliqua selegit Justinianus, & fidei comparandæ gratia in fine Epistolæ suæ quæ est ad Menam, retulit. Primum quidem stellas à peccati contagio immunes non esse ostendit ex Jobi 25. 5. Stelle non sunt munda in conspectu ejus. Quod ut melius adfruat, eas esse probat animalia, quod mandata à Deo dicantur accipere; mandare autem ipsis Deum, ut stas moveantur temporibus; motus vero illos neque absolvi posse sine anima; neque sine motu esse posse quæ anima prædita sint: nec anima solum, sed & ratione pollere; ac proinde incrementa capere sine dubio virtutis, vel decrementa: ad hæc animas antiquiores recentioribus siderum corporibus extrinsecus inferi probat primum ratione hac, quod cum humanæ animæ, quæ dum hominum animæ sunt, inferiores sunt siderum animis, corporibus hominum sint antiquiores, verisimile sit antiquiores esse quoque siderum animas siderum corporibus: probat id ipsum deinde supra adducto Pauli loco è Roman. 8. 19, 20, 21, 22. vanitatem quippe appellari corpus illud æthereum, quod invita subit anima sideris, sperans futurum ut expleto hoc ministerio liberetur à servitute corruptionis & vanitatis, cum redemptionis gloriæ filiorum Dei tempus advenerit: cuius voti adeptionem dum expectat, gemere, & ut ipse affectum habentem erga eos quibus ministrat, condolere: demum autem servitute liberatum iri, & cum tradiderit Christus regnum Deo & Patri, tunc etiam ista animantia cum prius regnum Christi fuerint effecta, simul cum omni regno etiam Patri regenda traditum iri; ut cum Deus erit in omnibus, etiam ista cum sint ex omnibus, sit & in istis Deus in omnibus.



II. Opportuna fuit illa Origenis adversariis ad ipsum infimulandum occasio. Theophilus Alexandrinus Pasch. Epist. 1. & 2. inter damnosa ejus effata ponit illud. Ponit & Hieronymus in Epist. 59. ad Avitum, cap. 1. 2. & 3. & in Epist. 61. ad Pammach. cap. 5. atque id esse ait dogma Gentilium, & ex parte Platonum. Orosius in Communitorio ad Augustinum opinionem hanc Origenistis quibusdam suæ ætatis adscribit; eamque valide convellit Augustinus in libello contra Priscillianistas & Origenistas, cap. 8. 9. 10. & 11. duoque dogmatis hujus fundamenta labefactat, perverfas nimirum interpolationes Paulinæ hujus sententiæ: *Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe;* & istius quæ extat Jobi 15. 15. *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus:* cui adsonat illa cap. 25. v. 5. *Stelle non sunt munda in conspectu ejus.* Quamquam sine errore dici posse concedit ne Angelos quidem ratione divinæ justitiæ justos esse; ac proinde si B detur sideribus inesse Angelos, perspicuum fore ait cur dixerit Jobus stellas non esse mundas in conspectu Dei. At utrum rationis compotes spiritus his infint lucidis corporibus nescire se fatetur, & caute indagandum monet. Ut ut est, ex Augustini auctoritate multis opinionem istam Origenis impugnat Remigius Rhemensis in Rom. 8. 20. Confurgit & adversus illam Justinianus in Epistola ad Menam, & Basilii auctoritatem asciscit, qui Homil. 3. in Hexaëm. Origenem carpit, quod aquas quæ supra & infra firmamentum sunt, Angelos tropice significare docuerit; nec idcirco sensu præditum animal firmamentum esse tradit, quod gloriam Dei enarret, alioquin animalia futura rorem, & pruina, & abyssum, quod iis laudem Dei Propheta commendet. Sexto demum ex Anathematismis huic Justiniani Epistolæ subnexis eadem hæc Origenis sententia de sideribus animatis confoditur. In quo sane miror equid de sideribus peccato obnoxius, de eorum spe & futura salute ne verbum quidem in Anathematismis Imperator ille fecerit, cum ejus tamen verba ipsa è libr. 1. *ἄστρων* petita repræsentet, quibus verbis & anima sideribus tribuitur, & Sol inducitur dicens Præstare dissolvi & esse cum Christo, sed necessarium magis esse manere in corpore, propter revelationem filiorum Dei, & eadem acriter reprehendat in Epistola ad Quintum Concilium, quam refert Cedrenus; unum id culpandum ac damnandum susceperit, quod suis tamen non caret patronis ac defensoribus. Rufinus quoque Palæstinus in libello de fide, doctrinam hanc Adamantii gravibus argumentis elidit, fundamentumque subruit in hoc Scripturæ loco constitutum, Job. 25. 5. *Æstra autem non sunt munda in conspectu ejus. Neque enim, inquit, ex eo quod non munda sunt in conspectu Dei, ideo dicuntur animalia, alioquin etiam menstrua mulierum ab ipsis animalia nuncupentur; & leprosa domus, quoniam ne ista quidem munda sunt apud Deum, secundum legem Moysi. Multa enim eorum que sine anima sunt, ratione quadam sepe legimus immunda.* Ait etiam Rufinus hæc Scripturæ loca in sententiæ suæ tutelam Origenem convertere: *Sol cognovit occasum suum;* Psal. 103. 19. & illum: *Ego omnibus stellis mandavi;* Isaïæ 45. 12. Denique Nicephorus libr. 17. cap. 28. errorem hunc de animatis sideribus in Quinta Synodo damnatum fuisse narrat.

III. At eum quamvis omni affirmatione alleverasse visus sit Origenes, hoc tamen pronuntiato Lectoris animum occupavit in Proemio libri prioris Commentarii ejusdem *ἄστρων*: De Sole autem, & Luna, & stellis, utrum animantia sint, an ex anima manifeste non traditur: quæ verba repetit Pamphilus in Apologia. Capite quoque 12. libri sequentis, velut incertus & titubans ait: *Cum ergo, verbi gratia, ad caelestia loca pervenerint Sancti, tunc jam rationem astrorum per singula pervidebunt, & sive animantia sunt, sive quidquid illud est comprehendent.* Et Tomo primo in Johannem pag. 38, 39. hyperbolice dictum suspicatur à Jobo, astra pura non esse coram Deo: *καὶ γὰρ ἄστρον ὑπὲρ ἀνθρώπων πρὸ αὐτοῦ φάσκον ἀμαρτημάτων γενέσθαι θανάτου, καὶ ἐπὶ τῷ ἰσὺς ὑπὲρ ἄλλο τιπὸς αἰσθῆναι ἢ ἀστροῦ ἐν ἀμαρτηματὶ γεννημένου, ἵνα ὑπὲρ ἀστροῦ ἰσὺς ἢ ἄστρον πάντος κατὰ τὸν ὄντων ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὡς ἐν τῷ ἰσὺς ἀνθρώπου. ἀστρα ἢ ἢ κατὰ τὸν ὄντων αὐτῶν. εἰ μὴ ἀστρα ὑπερβολικῶς τὸ εἶρη.* Homilia demum in Jeremiam decima, explanans illud Jerem. 12. 4. *Quousque lucebit terra,* terram corpus esse ait anima & sensu carens, sed terræ nomine appellari Angelum terræ adstantem, ac idem aquæ, elementis, & rebus singularis. Quæ inter Ecclesiasticos Doctores tritissima est opinio, animata esse sidera per formam adstantem & coherentem, non intromissam & informantem. Atque ex his satis patet Origenis hæsitatio.

Ad hæc Pamphilus in responsione ad octavam criminationem, unicuique Christianorum fas esse dicit astra animata vel non animata censere; nec cuiquam opinionis alterutrius causa hæreticos inurendam esse notam, propter hoc quod non ita aperte de his traditum est in Apostolica prædicatione. Quod ipsum præ se tulit Adamantius in Proemio librorum *ἄστρων*, uti supra ostendimus. Penitus vero origenizat Ambrosius, sic disserens in Epist. 38. ad Honoriantum: *Stelle nebulis obductæ vaneſcunt, que sustinent ministerii hujus mundani usus, non sponte utique, sed in spe; quia sperant etiam hujus laboris gratiam ab eo qui subiecit eas. Ideo, propter*

A propter eum sustinent, id est propter ejus voluntatem. Nec mirum si patienter sustinent, cum sciant Dominum suum esse creatorem omnium, siue que in caelo, siue que in terra sunt, suscepisse nostri corporis fragilitatem. Deinde illius ergo imitantes bonitatem caelestes creaturae, licet ingemiscant, quod mundi huius vanitati subiecti sint, consolantur se tamen quod liberabuntur à servitute corruptionis in libertatem gloriae. Augustinus quoque libr. 2. de Genes. ad liter. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 58. de eo, ut potere obscura & incerta, definire se nolle quicquam declarat. Hinc ipse Origenis reprehentor Hieronymus in Eccles. 1. v. 6. dubitat annon sideribus animam Salomon adesse putaverit: & in Ephes. 1. v. 22. ne sidera quidem ipsa munda esse coram Deo, eaque Servatoris adventum formidare scribit. Unde in Epistola 61. ad Pammach. cap. 5. de hoc agens dogmate, Non est, inquit, istius temporis contra dogma gentilium, & ex parte Platonum scribere, aut annos ferme decem in Commentariis Ecclesiasticis, & ex annotatione Epistole ad Ephesios arbitror sensum animi mei prudentibus explicatum. Quae cum ipsi fuissent à Rufino obiecta Invektiv. 1. crimen diluit Apolog. lib. 1. c. 4. Quin etiam Pseudo-Clemens in Recognitionib. libr. 5. & R. Moses ben Maimon, animas Astris affingunt. Denique S. Thomas libr. 2. contr. Gent. c. 70. ad si dei doctrinam pertinere negat, Astra animata dicantur, an inanimata, unde affirmare licet quo numero Justiniani anathematismos habuerit, qui affirmantem sententiam confodiant.

IV. Viam Origeni ad id dogma praemonstravit Plato, qui in Timæo caeli animam rationis esse compotem ait, eaque nihil à Deo praestantius fuisse procreatum: & in Epinomi dicitur praedicat *ὅτι τὸ ἀσπρὸν, οὐρανὸς ἔστι τυχὸν καλλίστου, ἡλικίης ἢ ἐοικασμένου ἀπὸ τοῦ καὶ ἀρίστου*. Praemonstravit & Thales Jonicae sectae princeps, qui rebus universis animam tribuebat. Praemonstraverunt & Stoici, & ipse, si Plutarcho, Alexandro Aproditaë, & aliis credimus, Aristoteles. Platonis sententiam ac ipsa propemodum verba pro more suo retulit Philo, nam in libro *ἑστὶ θεοποίησις ἢ τὸν ἰσότητος*, & alibi, ultra non animalia modo, sed mentes etiam purissimas esse asserit. In libro tamen de mundi officio, & altero de gigantibus, ea esse vult *δὲ ὄλου ἀναστασία* (quara vocem usurpavit Origenes) *καὶ παρὰ τὸ ἀνεπίδητον καὶ, καὶ ἀνύστα*, quod Origeni non placuit. Huic quoque ad eam capessendam opinionem praevit Clemens Alexandrinus in Eclogis *ἐκ τῆς ἀποφαινωσάν*. Perseveravit autem ad nostram aetatem illud de animatis sideribus placitum, defensoresque habuit viros quantivis pretii Tychonem, & Keplerum.

V. Augustinus libro 5. de Civit. Dei, cap. 1. eorum confutans dogma qui sine Dei voluntate decernere opinantur sidera quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorumve patiamur, hæc subiungit: *Quod si dicuntur istelle significare potius ista quam facere, ut quasi locutio quadam sit illa positio praedicans futura, non agens (non enim mediocriter doctorum hominum) Origenem notat) fuit ista sententia. non quidem ita solent loqui Mathematici, ut verbi gratia dicant, Mars ita positus homicidam significat, sed homicidam facit.* His, inquam, Origenem designasse creditus est: nam in eo fragmento, quod è Commentariorum ipsius in Genesim Tomo 3. excerptum Eusebius Praeparationis Evangelicæ libro sexto inseruit, astris futurorum inesse significationem affirmat, non etiam causam, quod faciunt Genethliaci; motum ergo iis à Deo & ordinem inditum, ut inde futurorum cognitionem Angeli hauriant, eujus quidem cognitionis adeptionem, cum vires superaret humanas, ab Angelis apostatis in homines aliqua ex parte fuisse transmissam, nullam autem libero arbitrio vim vel necessitatem hinc inferri. Praeter Augustinum hæc vehementer castigant Rufinus Palæstinus in libello de fide, & Procopius Gazæus in Gen. 1. v. 14. qui ab Origene, quem in aliis ad verbum fere sequitur, hac in parte discessit.

Sane si futura multa non ab astris praenuntiari duntaxat, sed & effici dixisset Origenes, & siderum viribus corpora hæc terrena variis affici modis, & ad hæc illave commoveri & inclinari, in eadem esset causa ac Apotelesmatici omnes, & hodierni Astrologia patroni, quorum sententia, integra modo servetur humani libertas arbitrii, hæreseos nota immunis est. At cum significationem solum futurorum, itidem ut Synesius, non causam astris adscripserit, illa libera arbitrii libertate, eo minus etiam decretis Ecclesiæ adversatur illius opinio, quam manasse è Platoniorum scholis satis apparet ex Plotini Enn. 2. lib. c. 1. & 7. & Enn. 3. lib. 1. c. 6. quem secutus est Macrobius libr. 1. in Somn. Scip. c. 1.

Cum in eo autem, quod diximus, fragmento, & alibi quoque, causam futurorum sideribus nequitquam inesse magno conatu Origenes probaverit, miror id ei dogma affectum: *ὅτι ποιητικὴν ἢ ἀποφαινωσάν ἢ ἀπρονοία*, quod inter alia eidem exprobari solita decimo loco recenset Anonymus auctor Apologiae pro Origene, apud Photium Cod. 117.

VI. Praeter superiora, illud quoque reprehendendi causa è libr. 4. *ἑστὶ ἀρχὴν* recitat Justinianus: *τίς τὸν ἕκτον ὀκτὸς ἢ ὀκτώτερον, καὶ δευτέρω, καὶ τρίτω ἡλικίαν, ἰακίαν τε καὶ ἀρωίαν καὶ ἐκ τῆς ἑστὶ ἀρχὴν καὶ ὀκτὸς ἢ ὀκτώτερον*: *Quis mentis compos statuat primum, & secundum, & tertium diem,*

UNIVERSITÄT
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Synof. libr.
de infor-
mis.

diem, & vesperam, ac matutinum tempus sine Sole fuisse, & Luna, & stellis? Cui & illud potest ad-
 jungi, quod libr. 6. contr. Cels. legitur, falli eos, qui vera dierum sex spatia Moyfen in mundi
 narranda creatione significasse putant: quosq; se in suis ad Genesin Commentariis refellisse
 Philo libr. ait. In quo Philonem secutus est, cujus hæc verba sunt: *ἡνδρα γὰρ τὸ οὐρανὸν ἔχει ἡμέρας, ἢ καὶ δόξα γένηται*
 1. Allegor. *ἡνδρα γὰρ τὸ οὐρανὸν ἔχει ἡμέρας*: Nempe hæc tropice intelligenda, explicandaque censebat Origenes, ut alia
 pleraque, in quibus allegorico sensui nimium tribuens, nativum & literalem subvertebat,
 Qui quoniam error suum sibi postulat examen, verbum non addam.

QVAESTIO NONA.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

B

I. Status quæstionis proponitur. II. Doctrina Origenis de resurrectione enucleatur.
 III. Utrum resurrectionem absolute sustulerit. IV. Hoc crimine purgatur. V. Utrum
 corporis resurrectionem admiserit, carnis inficiatus sit. VI. In eo etiam hesitat, & multo-
 rum præterea assensu gaudet. VII. Utrum & quomodo corpora in resurrectione mutatum
 iri existima verit. VIII. Hic quoque Patrum aliquot consensione se tuetur. IX. An corpora
 in resurrectione spherica futura autuma verit. X. Utrum impios affirmaverit neutquam
 in vitam redituros. XI. Unde suam de resurrectione doctrinam hausert, aperitur. XII.
 Nonnulla ad ejus excusationem præter superiora colliguntur. XIII. Quo sensu dixerit pec-
 catorum causam ad corpus referri.

I. **T**RANSEAMVS hinc ad famosissimam de resurrectione carnis & corporis quæstionem,
 Licet enim uti verbis Hieronymi, hoc argumentum aduersus Origenem perle-
 quentis. Cohæret autem illa quoque cum superioribus, nam statu animarum
 ante hanc vitam exposito, ipsarum quoque futura post hanc vitam fors exploranda est:
 nimirum solasne ac solitarias, an conjunctas corporibus quibus convixerunt postremum
 subituras iudicium, iisdemque deinceps adhæsuras autumaverit. Ac magnum profecto
 haberemus ad quæstionis illius tractationem compendium, si hujus argumenti & tituli li-
 bris ab eo conscriptis temporis diuturnitas peperisset, & quæcunque in iis olim fuerunt
 reprehensa, Veterum monumenta præ se ferrent: de se quippe ipse narrat libr. 3. *ἡνδρα γὰρ*
 cap. 10. publicatis suis de resurrectione lucubrationibus, *offensos quosdam in Ecclesiastica si-*
de, quasi velut stultæ, & penitus insipienter de resurrectione crederet, præcipue hæreticos. Multum
 quoque prodesset ad hujus argumenti illustrationem Hammonis Hadrianopolitæ libri ad-
 versus Origenem super ea quæstione scripti, si vel superessent illi, vel tantumdem certe ex
 iis de promptum pervenisset ad nos, quantum è Methodii opere ejusdem instituti Epiphanius
 & Photius excerptum servarunt. Verum vetustate consumtis his commentationibus, hæc
 ope destituti, partim ex Origenis dogmatum *ἀνωμαλῆς*, partim ex aliorum expostulationibus,
 partim ex ejus scriptis, cujusmodi ad nostram pervenerunt ætatem, quid ipsi visum sit, pro vi-
 ribus æstimemus.

II. Quod si rem primum ex doctrinæ ipsius textura spectare velimus, meminisse o-
 portet accusatum fuisse eum, quod animam solam hominem constituere, post Platonem,
 dixerit: & quod animas pro peccatis in varia corpora, sic tanquam in vincula conjectas
 tradiderit, ut supra observavimus. Ferunt præterea persuasum fuisse illi, Adamum pro-
 pter noxam mortali fuisse corpore indutum, quo prius carebat, cum immortalis à Deo fu-
 isset procreatus, pelliceasque tunicas, quas ei Deus post prævaricationem circumposuisse
 dicitur, nihil fuisse aliud quam corpora mortalia; ossa vero & carnes quas ante peccatum
 habuisse Adamum Scriptura commemorat, carnes esse intelligibiles, & ossa intelligibilia.
 Cum igitur mortale corpus adventitium quid ac extraneum esse arbitratus sit, sequitur
 inde necessario, expurgatis peccatis, exolutisque suppliciis, liberam tandem aliquando
 animam, corporaliumque compedum pondere exoneratam resurgere. Nam si poena est
 gestare corpus, gestare certe corpus desinet anima, cum poena cessabit. Corpus illud in-
 telligo, quod in sceleris luam subiit ipsa, grave illud nempe, terrenum, & carneum, non
 illud autem qui eum procreata primum & à Deo formata est. Huic confectarium est, fu-
 turum ut anima humanorum illam configurationem membrorum à se abiciat, utpote quæ
 carni corporis propria sit; meliorem autem & perfectiorem formam suscipiat, ut quæ in
 melius mutata, & perfectiori statui reddita sit; formarum autem omnium cum perfectis-
 sima

Hier. Ep.
 61 ad
 Rom. c. 7